

**www.e-rara.ch**

**Andrae Vesalii Bruxellensis, scholae medicorum Patavinae professoris,  
de Humani corporis fabrica Libri septem**

**Vesalius, Andreas**

**Basileae, [Anno salutis reparatae 1543]**

**Universitätsbibliothek Basel**

Shelf Mark: AN I 15

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-20094>

Ioanni Oporino Graecarum literarum apud Basilienses professori, amico charissimo suo

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



IOANNI OPORINO GRÆCARVM LITE

RARVM APVD BASILIENSES PROFESSORI,

amico charissimo suo.

S.



CCIPIES breui simul cum his literis per Mediolanenses mercatores Danonos, tabulas ad meos de Humani corporis fabrica libros, & eorundem Epitomen sculptas. Vtinam tam integrè ac tutò Basileam perferantur, atque sedulo cum sculptore & NICOLAO STOPIO hic Bombergorum negotiorum fidelissimo curatore, in humanioribusq; studijs apprime uersato iuvene, eas composui: ne aliqua ex parte atterantur, aliudue incommodum ipsis uectura inferat. Inter tabularum seriem exemplar frustatim reposuimus, simul cum impresso singularum figurarum typo, cui quo quæque loco repouenda ueniat asscripsi: ne forte illarum ordo ac dispositio tibi tuisue operis negocium faceisset, figuræq; non ordinatim imprimerentur. In exemplari promptè discernes, ubi genus characterum sit immutandum, quandoquidem scripturæ partem, quæ organorum historiam completitur, continuoq; orationis contextu singulis capitibus absoluitur, lineis ab ea distinxit, quæ ad characterum qui in tabulis sculpti occurrunt explicationem iuuat: ob idq; figurarum & characterum Index appellatur. In continua orationis serie nusquam figuris indicandis interrupta, literulas expendes, quas in officinis superlineares nuncupatis: quæ illis respondent annotationibus, quas interiori margini non tanta industria, quanto labore & tædio, adhibui, ut lectori uelut scriptorum essent commentarius, exprimens in quânam figura pars, cuius mentio incidit, spectari possit: uti annotationes in exteriori margine obuia, eorum quæ enarrantur argumentum quodammodo proponunt. In interioribus, ne essem prolixior, eam rationem obseruauit, ut quotiescunque figura indicatur, quæ capiti, ubi annotatio spectatur, præfixa est, nullum capitis numerum indicem: quem alioquin appono, si figura alteri præponatur capiti. Rursus, si figura in libro ubi annotatio occurrit, inueniatur, libri numerum figuræ haud subijcio. Quamobrem uerò figuras hoc illoue loco collocandas duxerim, in librorum titulis, & characterum indicibus abunde explicatum reperies. Notarum enim, quibus partes in delineatione quapiam insignenda fuerunt, loco, characteres quorum in officinis perpetuò usus est, in tabulis sculptissimus: primum ferè à maiusculis, & dein alijs Latinorum orsi: in super Græcorum minoribus: mox ab eorundem grandioribus, qui Latinis non sunt familiares: quum uerò hi omnes non sufficerent, numerorum typos assumpsimus, & si quæ alia notula in communibus typis occurrebat. In horum indicium descriptione obseruatum est, ut indicans unamq; priuatam explicationem habens character, in margine liber collocetur. Si uerò peculiarem non habeat indicem, ac ueluti cum alio characterè exprimat, ipsi punctum in margine subieci, ut unâ cum cæteris lectori in serie obuius fieret. Verum hanc rationem, ac potissimum cur characterum indicem cum partium historia confundendum non putauerim, aliàs ad te prolixius scripsi: nunc uerò ijs quibus possum modis hortor, & rogo pariter, ut omnia quàm nitidissimè & ocyus excudantur, utq; in meis conatibus expectationi, quam omnes de tua Officina, nunc primum magno studiosorum commodo, felicitq; Musarum omine instituta conceperunt, satisfacias. Præcipuum studium in tabularum impressione erit impendendum, quod non uulgariter ac scholasticè, uelut que simplicibus duntaxat lineis sint expressæ: nusquam picturæ ratione (si interdum locum quo res delineatæ suffulcirentur, excipias) neglecta. & quanquã hic iudicio ualeas, nihilq; nõ de tua industria & sedulitate mihi pollicear, hoc unum percuperem, ut inter excudendum id exemplar quàm proximè imitareris, quod à sculptore speciminis sui loco impressum, unâ cum ligneis formis reclusum inuenies. ita enim nullus character, quantumuis etiam in umbra reconditus, oculatum sedulumq; lectorem latitabit. & quod in hac pictura longè est artificiosissimum, mihiq; spectatu perquam iucundum, linearum in quibusdam partibus crassities simul cum eleganti umbrarum obfuscatione apparebit. Verum non est quod hæc tibi perscribam, quum in papyri læuitate soliditateq; ac in primis in uestrarum operarum diligentia positum sit, ut singula, quale nunc mittimus exemplar, nosq; hic aliquot impressimus, ex tua Officina omnibus proponantur, multisq; fiant communia. Dabo operam, ut non ita multo post ad uos proficiam, & si non toto impressionis tempore, saltem aliquandiu Basileæ cõmorer, mecum formulam decreti Senatus Veneti allaturus, quo cauetur, ne quis

tabularum





## E P I S T O L A.

tabularum aliquam absque meo consensu imprimat. Cæsaris, quantumvis tu generale in omnes libros quos primus imprimis habeas, mater mea ad te Bruxella mittet. dudum enim mihi impetratum fuit: sed ut recentius esset, ad pluresq; annos utile, haecenus non curauimus describendū. Regis Galliae, se mihi adepturum recepit ipsius apud Venetos Orator, Monspeffuli antistes. Licet hac ex parte parum sim anxius: imò diplomatum exemplaribus ne paginam quidem occupandam duxerim. Nam quid principum decreta apud bibliopolas, & in omnibus angulis nunc densissime sotos typographos ualeāt, abundē in meis Anatomicis tabulis ante annos tres Venetijs primū impressis, & postmodū misere passim deprauatis, maioribusq; interim titulis exornatis, est animaduertere. Augustæ enim mea ad NARCISSVM VERTVNVVM, Cæsaris & regni Neapolitani primum medicum, rarumq; profectō nostræ ætatis medicorum exemplar, subducta epistola, nescio quis rabula Germanicè est præfatus, & præter meritum in Auicennam reliquosq; Arabes blaterans, me inter quosdam succinctos Galenos connumerat, & (ut emptori fucum faceret) me coegisse in sex tabulas falso asserit, quæ Galenus pluribus quàm triginta libris diffuse complexus est. Dein Latina se Germanico idiomate donasse subiungens, attestatur Græcas & Arabicas uoces ab ipso adhibitas: quum interim non solum tales omnino subduxerit, sed ea omiserit quæ conuertere nequiuit, quorumq; nomine tabula in primis debebant esse commendatiores. præterquam quòd Venetam sculpturam peruerse istic sunt imitati. Hoc Augustano sculptore longe rudior imperitiorq; extitit, qui Colonia iisdem tabulis manum admouit: quantumvis illic nescio quis in typographi gratiam scribat, non tantum ex meis tabulis hominis constructionem melius quàm ex humanæ fabricæ refectione intueri posse, uerū etiam ipsos ex elegantissimis figuris fecisse multo elegantiores: quum tamen & picturam ualde corruerint, & neruorum delineationem parum feliciter imitatam adiecerint, quam ego characterum adiecto indice, uni atque alteri amico, qui id tantisper dum ipse eā ederem, à me expetebant, ruditer delineaueram. Parisijs tres priores eleganter expresserunt, alij interim propter sculpturæ (uti conijcio) difficultatem omisiss: quum potius à prioribus si studiosorum habita esset ratio, abstinentiū fuisset. Caterum Argentiniensis ille, quē FVCHSIUS tantis conuicijs ob quædam denuò transcripta proscindit, quemq; ego longe alio iure quàm ipse plagiarium appellare possem, de studijs pessimè est meritis, quòd tabulas quæ nunquam satis magnæ studiosis proponi poterunt, tam foedè contraxerit, & turpissime pictas, ac præter omnem rationem circumscriptas, cum Augustani uersione, tanquam suas emiserit. Huius gloriæ is inuidere uisus est, qui undecunque citra delectum compilatis ex aliorum libris, imaginibus, Marpurgi & Francofordiæ eius generis libros adhuc emittere pergit. Adeò ut diuina illa & foelicissima Italarum ingenia leuiter feram, et ualde exosculer, quòd aliud in Germaniæ medicis iudiciū ob sordidorū quorundam typographorū mancipia requirant, quæ nullum nō scripti genus uilis alicuius præmioli à typographis emungēdi gratia cōgerere, emutare, transcribere, suoq; nomine ut nouum quid editum uideatur, decretaq; principum sileant, emittere audent. Hæc eò scribo, ut intelligas, quàm parum illa impressioni tuæ adhibenda putauerim. quin potius significandum duxerim, me multo lubentius tabulas alicui industrio typographo quocunque transmissurum: quantumq; in me esset, operam meam in rei literariæ usum communicaturum: quàm ut ineptus aliquis, cui pro mea uirili rationibus omnibus obesse conabor, tabulas tanto labore in communem studiorum usum confectas imitaretur, illæq; turgido quopiam præfixo titulo, perinde ac si à me ita negligenter exissent, in hominum manus uenirent. Atque hæc potissima est causa, cur tabulas meo sumptu parauerim, ac nunc iterum atque iterum abs te contendam, ut quàm integerrimæ & mundissimæ à tuis operis seruentur. Vale. Venetijs, nono Calendas Septembres.

Tuus And. Vesalius.



